

observationes. Jam circa tempus Eclipses Lunæ totalis Anni 1725. plurimas observationes in eundem usum habui, ut scilicet ex eis Lunare schema construerem, propter usus geographicos; cum vero illa eclipsis, extra Berolinum nullibi fere rite fuerit observata, propter tempus nubium, inutile judicavi tempus perdere in constructione Schematis, quod usum speratum, propter defectum observationum exterarum, præstare non posset. Jam vero, cum hæc ultima Lunæ Eclipsis, non solum hic loci, sed & alibi feliciter sit observata, quantum quidem comperi, majori alacritate in constructionem Schematis Lunaris incubui.

Omnes observationes, quas adhibui ad Constructionem, hic recensere nimis longum foret, interim pauca speciminis loco hic proferam. Anno 1719. Die 24. & 25. Nov. observavi Distantiam centri Montis Sinai à proximo margine Paludis Mæotidis 7. Dig. 55.' vel 7. Dig. 50.'. & Anno 1725. Die 20. Oct. eandem distantiam observavi 8. Dig. 9'. quæ tamen secundum Schema Hevelianum 7. Digitos vix superat.

Anno 1719. Die 24. Novembr. deprehendi Distantiam centri Lacus nigri majoris à proximo margine Palud. Mæot. 5. Dig. 40'. & eandem distantiam inveni 1725. D. 20. Oct. 6. Dig. 4'. quæ secundum Schema Hevelianum est $6\frac{1}{2}$ Dig. Cum vero invenerim me has Distantias paulo laxiores justo accepisse, in Schemate eclipses, pro distantia centri lacus nigri majoris à prox. limbo Paludis Mæotidis, elegi 5 Dig. 36'. & pro Distantia centri M. Sinai à prox. marg. Pal. Mæot. 7 Dig. 45'. Quod verò Anno 1725. D. 20. Oct. hæc distantia notabiliter majores fuerint observatæ, non errori in observando adscribendum est, sed diversæ librationi Lunæ: Tunc enim Palus Mæotis admodum propinqua erat margini Lunæ, cum in ultima eclipsi distantia Paludis Mæotidis à margine esset magna. Vel, ut cum Hevelio loquar: Anno 1725. D. 20. Oct. minima ferè fuit libratio Lunæ ad Paludem Mæotidem, Anno 1729. verò D. 9. Aug. illa Libratiō fuit maxima.

Post eclipsin hujus anni, cum mihi deessent loca lacus Hyperborei utriusque & Montis Audi, observavi D. 5 Sept. distantiam centri lacus hyperborei superioris à Pal. Mæot. prox. marg. 3. Dig. 2'. à centro Lacus nig. maj. 3 Dig. 39', Lacus hyperboreus inferior aberat à Pal. Mæot.

E

prox.